



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

15. De vocatione primorum quinque discipulorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59868)

VITA
nullus, vel
est lapsus.
monstraret
gloria, affe-
daturum,
voluntate
ulo, & ma-
considerit
r, nisi ad-
ilent.
eret, ut de
istum man-
ret se sup-
t: ut dis-
ni submis-
e Deo na-
as quide,
ntem esse
inas pa-
stabile.
fuga-
lista, ad
um pra-
it finges
nus nos
nos vin
ebet ef-
ere ten
niatur



DE VOCA-
TIONE PRIMORVM
QVINQVE DISCIPV-
LORVM.

MEDITATIO XV.
EVANGELIVM.

ALTERA die stabat Io-
annes, & ex discipulis e-
ius duo. Et respiciens Ie-
sum ambulatem, dicit,

Ioan. x.

Ecce agnus Dei. Et audierunt eum
duo discipuli loquentem, & secuti
sunt Iesum, conuersus autem Iesus,
& videns eos sequentes se, dicit eis.
Quid quaeritis? Qui dixerunt ei
Rabbi (quod dicitur interpretatu
Magister) vbi habitas? Dicit eis. Ve-
nite, & videte. Venerunt & viderunt
vbi maneret, & apud eum manserunt
die illo: hora autem erat quasi decima.
Erat autem Andreas frater Simonis
Petri vnus ex duobus qui audierant

K 7 à lo-

230 **MEDITAT. DE VITA**
à Ioanne, & secuti fuerant eum. In-
uenit hic primum, fratrem suū Si-
monē, & dicit ei. Inuenimus Mel-
siam (quod est interpretatum Chri-
stus) Et adduxit eum ad Iesum. In-
tuitus autem eum Iesus dixit. Tu es
Simon filius Iona, tu vocaberis Ce-
phas (quod interpretatur Petrus) in-
crastinum voluit exire in Galiliam
& inuenit Philippum. Et dicit ei
Iesus. Sequere me. Erat autem Phi-
lippus à Bethsaida, ciuitate Petri
& Andreae. Inuenit Philippus Na-
thanaël, & dicit ei. Quem scripsit
Moyses in lege, & Prophetæ: inue-
nimus Iesum filium Ioseph à Na-
zareth. Et dicit ei Nathanaël. A Na-
zareth potest aliquid boni esse: Di-
cit ei Philippus, veni & vide: Vidit
Iesus Nathanaël venientem ad se;
& dicit de eo. Ecce verè Israëlitæ, in
quo dolus non est. Dicit ei Natha-
naël. Vnde me nosti? Respondit Ie-
sus, & dixit ei. Priusquam te Philip-
pus vocaret, cum esses sub ficu, vi-
di te. Respondit ei Nathanaël &
ait. Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex
Israël

P. R. O.



INNOCENTES & recti adhaere. *Psal. 24.*
 Irunt mihi.

1. In omni loco oculi Domini contemplā *Prou. 15.*
 tur bonos & malos.

3. Si videris sensatum, euigila ad eū. & *Eccl. 6.*
 gradus ostiorum illius exacerat pes tuus.

CONSIDERATIONES.

CV M triumphator Christus I E. *Punct. I.*
 SVS asperitate deserti conculcas-
 set mundum, & lōgo grauique iciunio
 carnem afflixisset, ac denique suarum
 responsionum humilitate prostrauis-
 set aduersarium; tempus erat, vt se pa-
 tēfaceret mundo, hominibusque eam
 doctrinam annunciarer, quam ante vi-
 tæ suæ exemplo docuisset. Venit ergo
 ad seruum suum Ioannem, partim vt
 eum honoraret; partim vt testimoniū
 in populi presentia ab eo acciperet, atq;
 etiā, vt congruenter æternæ suæ dispo-
 sitioni, aliquos ex eius discipulis sibi ad-
 iungeret, & ad Apostolatū vocaret. Io-
 annes igitur vt vidit Christum adueni-
 entem, cū suis discipulis demonstrauit,
 dicēs. *Ecce agn^o Dei.* Quo verbo ita mē-
 tibus eorū impressit dignitatē Saluato-
 ris, vt simul eis persuaserit, Christū esse
 sequendū. Vbi perpende, quāta pietate
 hic

hic fidelis amicus, & cælestis spon-
 præcursor hoc diuinum testimonium
 de immaculato agno **IESV** protulerit:
 qui verè solus erat sine macula, solus
 expers peccati; cuiusque solus sanguis,
 potuerat eluere maculas & tollere pec-
 cata totius mundi. O quam dulce hoc
 verbum fuit in ore Ioannis, quando-
 quidem toties, tanto affectu illud repe-
 tiuit. Et si tam dulce fuit in ore, quanta
 eius dulcedo fuerit in corde, dum cõsi-
 deraret huius diuini Agni virtutes, hu-
 militatem, mansuetudinem, caritatẽ,
 & innocentissimæ vitæ puritatem. Ex
 altera verò parte, quam amarum & du-
 rum hoc verbum fuit cordi, dum con-
 sideraret finem, ob quem in mundum
 venerat, nempe vt occideretur, & in sa-
 crificium pro totius mundi peccatis æ-
 terno Patri offerretur. O sancte Ioãnes,
 quanto perè commotum & liquefactũ
 est cor tuum, cum illum coram aspice-
 res, & de illo verba faceres. Quam libe-
 ter tuum potius sanguinem, vitamque
 profudisses pro illo, quem sciebas tam
 liberaliter eam profusurũ pro te. Ego
 mihi certè persuadeo, cor tuum com-
 passione durissimæ mortis Redempto-
 ris tui ita fuisse afflictũ, vt etiam si per
 obedientiam non licuerit tibi secun-
 dum

*1. Pet. 1. &
 alibi.*

Ioan. 1.

dum corpus in eius societate permanere, tamen transformatus totus in eius passionem mente continenter in eius societate permaneris. Quare & tandem eum in morte imitari, & in gloriosorum martyrum numero haberi meruisti.

2. **D**V O discipuli Ioannis, audito sui Magistri de **C H R I S T O** testimonio, maluerunt audire & sequi deinceps Christum, quam Ioannem; plurimum que gauisi sunt, a se tandem repertum illum, de quo toties eorum Magister locutus fuerat, & quem veteres Patres tanto desiderio expectarant. Vide ergo quomodo sancti illi discipuli secuti fuerint Christum, non tam corporis, quam deuotionis passibus; passibus fidei, passibus imitationis, desiderium quidem illos trahebat, sed timor & pudor, dum cogitarent suam ruditatem & ignorantiam, retrahebat, ut non auderent se proprius illi adiungere. Ex alia parte uide quam benigne & fortiter fuerint a **C H R I S T O** attracti, exemplo illius eximia humilitatis, mansuetudinis, & imprimis caritatis, qua iam eorum corda accenderat, & ita sibi deuinxerat, ut, etiam si uoluissent, non potuerint ab eo diuelli.

3. **C O N S I D E R A**, quomodo Saluator

VITA
estis sponsi
monium
protulerit
ala, solus
sanguis,
ollere pec
dulce hoc
quando
illud repe
re, quanta
dum cōsi
tutes, hu
, caritatē
tatem. Ex
m & du
lum con
nundum
, & in fa
eccatis &
e Ioānes,
que factū
m aspice
am libe
itam que
ebas tam
e. Ego
m com
dempro
am si per
i secun
dum

uator ardens desiderio promouende salutis omniū, & benignam faciē suam semper in eos conuertens, qui ex corde ad ipsum conuertuntur, omnesq; recipiēs, qui cū fiducia ad eum accurrunt, cū misericordiæ suæ oculis hos duos discipulos, qui ipsum sequebantur, respiceret, ad augendā eorū fiduciam interrogarit. *Quē quærerēt*, quasi diceret, quid petitis a me? sum enim paratus satisfacere voluntati vestræ. Sciebat quidē dominus, quo affectu & desiderio se sequerentur, sed voluit hoc actu conuertendi se ad illos, & respiciendi, & cū illis loquendi, suam clementiam, & beneuolentiam, qua in illos ferebatur, declarare, vt confidentius ad se accederēt, suaq; desideria & necessitates liberiorius exponerent.

Zach. 1.

4. RESPONDERVNT ergo discipuli. *Magister vbi habitas?* nō quæsiuerūt, vbi esset eius domus, nam pauper IESVS domum propriam nōn habebat, sed nec locum, vbi caput suum reclinare posset. Quo enim in loco ille habitaret? Nam cum eo tempore nondū esset mundo manifestatus, ac proinde neq; cognitus, nec discipulos haberet, qui ei de habitatione, cæterisque rebus necessarijs prospicere possent, probabi-

Luc. 9.

le est cū more pauperū, vt victū, ita vilem habitationē, vel nullam certā habuisse. Respondit itaq; illis I E S V S. *Venite & videte.* O quāto Dominus prior est ad dandum & benefaciendū, quam nos simus ad petendum & ab eo recipiendum. Iam finis diei aderat, nec aliud discipuli cognoscere petebant, quam vbi habitaret, vt cum postea inuenire possent: sed benignus I E S V S non fuit re tam modica contentus, inuitat eos, vt secum pergant, & quia vespera erat, totam noctem vult impendere, vt eorum desiderio faciat satis. Et rectē dicit Euangelista illos discipulos toto die apud eum mansisse, neque enim poterant tenebrę noctis esse. *Ioan. 2.* Christus, qui est verus sol iustitię, & vera lux mundi. Nox illa, non fuit ijs nox, sed dies clarissima, o quam beata dies, quam scēlix nox fuit. Vtinam referre aliquis possit ea, quę ex cęlestis Magistri ore tunc audita sunt, quę fuerint inter ipsos colloquia. O anima mea conemur quoque ædificare nos ipsos, & cōstruere domum, in qua Iesus habitare dignetur. Beata siquidē anima est, quę suū cor cōuertit in domiciliū spirituale, in quo Dominus cū ea habitet, cum ea loquatur, & ab eo insituatur.

s. CON-

5. CONSIDERA, quomodo Andreas, post inuentū Christum, thesaurum absconditum, & margaritam pretiosam, & è piscatore piscium factus piscator hominum, vt initium daret officio Apostolico, primum quærit Simonem fratrem suum, studio & voluntate iungendi eum sibi fide & religione, qui iam ante sanguine iunctus esset, & inuento dicit, *Inuenimus Messiam* Et rectè dicit, se inuenisse; hoc enim est verè inuenire Christum, esse amore eius accensum, & curandæ proximi salutis incumbere, vt alij quoque eius gratiæ participes fiant, quam ipsi ante acceperunt Neque mirum est Simonem tam citò fidem verbis fratris præstitisse, & passum fuisse se deduci ad Christum; Nam qua virtute attraxerat Andream, eadem quoque cor Simonis, à ab æterno in caput & fundamentum Ecclesiæ prædestinati, attraxit. O iudicia profunda, ô consilia Dei altissima. Quis non existimasset Andream, Ioannis discipulum, & ab ipso Christo ex omnibus primo loco vocatum, priorem Petro futurum in Apostolatu? cum Petrus non fuerit immediatè vocatus à Christo sed ab Andrea: neque legimus, illum Ioannis discipulum fuisse, si-

Matth. 16.

milli

militer si quis magnum illud testimo-
nium audisset, à Domino datum Na-
thanaeli, quando illi à Philippo addu-
cto dixit. *Ecce verè Israelita, in quo do-
lus non est*, proculdubio credidisset Na-
thanaelem inter omnes Apostolos pri-
mum futurum, & tamen nec primus,
nec vltimus fuit, cum nõ sit in numero
duodecim Apostolorum. Nathanael e-
rat homo eruditus & Legis Doctor, &
ideo Dominus cum noluit eligere in
Apostolum, voluit autem eligere i- *1. Cor. 1.*
diotas & simplices, ad confundendam
humanam sapientiam & superbiam;
vtq; constaret, virtute diuina, non sapi-
entia vel doctrina humano mundo fi-
dem religionis Christianæ persuasum
esse. Vnde & Dominus non vocauit
piscatores per Oratores, sed cõtra opera
piscatorum vocauit, & obedientiæ fi-
dei subiecit Oratores & mundi Impera-
tores.

6. NATHANAELE à Christo sci-
scitante, vnde se nosset? respondit Do-
minus, *Prusquã te Philippus vocaret,
sũ effis sub ficu, vidi te* Considera, quo-
modo Dominus Nathanaelẽ, vt homi-
nẽ eruditum & intelligentẽ, paulatim
deduxerit in suæ diuinitatis notitiam.
Nam primo, declarauit se esse Prophe-
tam,

tam, dum, quasi interius eū cognoscēs, appellauit iustum, & in quo dolus non esset. Deinde declarauit se esse plusquā Prophetam, & plus quam hominem, dum addidit, se uidisse eum sub ficu: ostendens se etiam cogitationes hominū uidere, quasi diceret. Cum esses sub ficu, & de me mente multa agitares, ergo omnes cogitationes tuas perspexi. Dubium non est. Nathanaēlem, vt hominem iustum, & suae salutis ac liberationis populi sui cupidum id temporis in animo reuoluisse veterum Prophetarū de Christo vaticinea; animaduertentemque, vt erat peritus Legis, instare tempus aduentus eius, desiderio tandem magno animi estuantem cum suspirio & gemitu dixisse cum Propheta. Quando venies *O desiderate cūctis gentibus?* Nihil ergo mirum, quod à Christo tunc visus fuerit; Christum enim cogitabat, Christum desiderabat, & iam Christus in corde eius habitabat. Multo autem minus mirum fuit, quod Nathanael certo colligens ex arcanorum notitia eum verum esse Messiam in lege promissum, mox exclamans dixerit. *Tu es filius Dei, tu es Rex Israel.*

COL.

Agg. 2.

COLLOQVIVM.

ORABIS Christum Dominum,
 ut sicut ipse est Redemptor perdi-
 torum, spes & refrigerium miserorum,
 ac pauperum spiritu dulce solatium,
 qui vocat omnes defatigatos ad se, ut
 eos reficiat, nec quenquam respuit ex
 ijs, qui per fidem se ei adiungunt, tibi lar-
 giatur gratiam; ut spe & amore tendere
 ad eum tamquam ad ultimum finem pos-
 sis, illum solum quærere, & solum se-
 qui. Ille enim solus Saluator, solus bo-
 nus, solus suavis est omnibus, qui in eo
 fiduciam & perfugium suum habent.

DOCUMENTA.

1. *De Ioãne scribitur primo, quod sta-
 bat, secundo, quod respexerit Iesum
 ambulantem. Tertio, quod dixerit, Ecce
 Agnus Dei. Sic pradicator Euangelicus,
 primo debet stare, id est, esse constans in
 verbi diuini pradicacione. Secundo debet
 per meditationes diligenter totum vitam
 Christi progressum cõsiderare. Tertiã de-
 bet populo hanc Christi vitam, & exem-
 pla ad imitandũ proponere & enũciare.*

2. *Christus videns duos illos discipulos
 sequentes se, conuertit se ad illos. Hinc ma-
 gnã consolationem capere possunt ij, qui
 relicto mundo incipiunt sequi Christum,*
 nec

nec debent, vel ob viriū suarū imbecillitatem, vel ob via difficultatē vel asperitatem, quā ingressi sunt, animū despondere. Nam, ut primū quis incipit tantū bonā voluntate sequi Christū, ille mox misericordia sua respectu ad eum conuersus, addit animum & fiduciam, vireſq; suppeditat perseverandi in finem.

3. HI duo discipuli, et si ad vesperaſceret, comitati sunt Christū, ut audirent eius doctrinam. Christus quoque nō recusavit eos in comitatum recipere, & docere. Semper est tempus faciēdi benē. Semper est opportunū adire Christū. Qui in iuventute non adiit, non negligat saltem adire in senectute. Semper enim inueniet Dominum paratum ad eum recipiendum, & salutem ei impertiendum.

4. VT Christus nulla re melius discipulis illis sui notitiā impressit, & sua doctrina capaces reddidit, quam cum eis dixit, Venite, & videte, permisit q; ut toto die secum manerēt: sit homines mundani & carnales, neque credere, neque capere possunt, quantū bonum sic seruire, Deo, & quanta conscientia pace, quantaque spiritus voluptate fruantur, qui in religione se Deo dedicarunt, nisi experientia ipsa conentur probare.

5. ANDREAS conuersus, mox quasi-

C
nit Simon
adduxit.
qui licet p
non stud
re ad Chri
eos ad des
perfection
tur eos om
posito abſt
6. Dixit
cras sub f
& formid
ties peccat
spectu ver
dicaturus
ei debet ho
ria sua &
lim rem
afflic

ait Simonem fratrem, eumque ad Christum adduxit. O quam multi hodie secus faciunt, qui licet professione Christiani, non solum non student parentes & amicos suos adducere ad Christum: sed quando animadvertunt eos ad deserendum seculum, & sectandam perfectionem Christianam propensos, conantur eos omnibus artibus & modis à bono proposito absterere.

6. Dixit Christus Nathanaeli.: Quando cras sub ficu, vidi te. Magnoperè pude fieri & formidare deberet peccator, sciens, se quoties peccat, licet in occultissimo loco, in conspectu versari Dei, qui eum aliquando est iudicaturus. E contra magna consolatione affici debet homo iustus, sciens, non solum desideria sua & bona opera explorata esse Deo, sed etiam remuneranda, verum etiam labores, afflictiones, & tentationes, quas in dies patitur, aliquando coronandas.

L DE

